



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 59. Continuatio negotiationis Romanæ pro uniendis refractariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1718.

§. LIX.

*Continuatio negotiationis Romanæ.*

Equidem Cardinalis Noaillius se incio *I. afiteau l. c. pag. 90.*  
doctrinæ summarium fuisse adulte-

ratum, Serenissimo Regenti persuadere nitebatur, Pontificem tamen fallere haud poterat: Hic enim certis ex literis compertum habebat; quod Noaillius, rejectis falsificationibus genuinum latinumque exemplar a Rohanio & Bissyò Romam missum adeo non acceptarit, ut potius Cardinali Tremollio perscriberet, quod si Papa summarium inter Episcopos conventum, & a præfatis Cardinalibus postea Romam transmissum approbare vellet, ipse hanc approbationem rejecturus esset, cum sibi firmum fixumque sit, non aliud pro suo agnoscere, quam quod primo transmissum fuit; si enim Pontifex, ajebat Noaillius, alterum approbaret, Instructionem XL. Episcoporum ibidem confirmatam simul approbaturus esset, hanc autem se semper utpote dilucidandis difficultatibus contra Bullam motis minus sufficientem semper rejecisse. Interim tamen Cardinalis Tremollius Noaillii Instructionem Pastoralem atque acceptationis formulam summo Pontifici exhibuit; neutram tamen Hic ratam

Yy 5

ha-

Sæc. XVIII. haberi posse, primo statim obtutu decla-  
 A. C. 1718. ravit, idem judicante ipsomet Tremo-  
 lio: Sic denique tam diuturna, & mo-  
 lesta pacis negotiatio post tot proposita  
 emendata, rejecta, & rursus ad inco-  
 dem revocata conciliationis media in  
 irritum cecidit.

## §. LX.

*Opponentium Episcoporum Appella-  
 tiones Romæ a S. Inquisitionis  
 officio proscriptæ.*

*Merc. Hist.  
 May p. 573.*

Cum ergo Pontifex sedandis Franciæ  
 turbis nullum aliud remedium su-  
 peresse cerneret, quam vel ultroneam  
 sinceramque Constitutionis acceptatio-  
 nem, vel Canonicam in refractatis se-  
 veritatem, illam vero obtinendi spera-  
 nullam esse reliquam crederet, exte-  
 mum auctoritatis suæ rigorem adhibere  
 constituit: Præprimis ergo S. Inqui-  
 sitionis Romanæ Congregatio die deci-  
 ma sexta Februarii, & die octava Mar-  
 tii Romæ promulgatum condidit decre-  
 tum, vi cuius Mirapicensis, Bolone-  
 sis, Montis - Pessulani & Senecensis  
 Episcoporum appellationes seu potius  
 appellationum acta tanquam schis-  
 matica, seditiosa, erronea, temere-  
 ria, atque hæreticis propositionibus  
 scatentia, necnon auctoritati Pontifi-  
 cis